Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36566
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

decimas accipere hoc est enim ab omnib' decimas accepisse.
Ut ido accedentes primarii uiri qui erant in filiis leui ad eleazarum sacerdotem & ad iohsue filium naue. & ad principes tribuum filiorum israhel in selon in terra chanaan. et dixerunt. Dominus precepit in manu moysi. da re nobis ciuitates ad habitandum. & suburbana earum animalibus nostris. Oportebat ergo eas de suburbanis & de ciuitatib' sortem fieri. ne forte indiscrete & fortuito inter leuitas celebrata diuisio. uideretur: Sicut ergo distributio sortis quae facta est in filiis israhel habuit rationem. qua quis prima sorte dignus haberetur: de qua re pro ut potuimus iam ante tractauimus. sed & de his quae per moysen ultra iordanem & ab iohu in terra repromissionis acceperunt. ubi prima sors cecidit. ad beniamin. & post modum ad ceteros in quibus ultimus fuit dan. ita necesse est esse aliquam rationem etiam in ordine sacerdotali & leuiticae sortis. ut alii prima. alii secunda. alii uero tertia sors ducatur: p quas illa uel illa loca unicuiq; decernantur: Dicuntur autem filii esse leui gerson. & chaad. & merari. & ostenditur primas tenuisse in honore. quia filii chaad fuerunt amrom. moyses & aaron. & maria. lgitur de chaad pars quae plebis effecta est sacerdotalis quae est aaron & filii eius. moyses autem in sacerdotali ordine. aut si quid etiam plus a sacerdotali ei potest. habendus est. alia uero est ratio de filiis eius. Ceteri autem ex filiis chaad secundum ordinem tenuerunt. in tribu leui. qui sunt ex issachar & cebron. & ohiel. Tum deinde post hos acceperunt partem post chaad ex filiis